ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS, PER BEAT. RHENANVM.

SEXVS mulierum in luxum ualde propenſus eſt. Viri Chriſtiani frugaliter culti incedebant. at mulierum bona pars non minus ornamentis indulgebat quàm ethnicæ matronæ. Neque enim cōtemptum ferre poteſt muliebris animus. Et putabant quidem modo caſtæ forent, & à patratione criminum immunes, nihil referre ſi ſe uel operoſius excolerent, uel formæ lenocinijs ſtuderent. Prætexebant etiam affinitatum & communium officiorum rationem, quibus intercedentibus cogerentur cum ethnicis ſubinde congredi. Verum Tertullianus quemadmodum proximo libello ornamētorum & monilium uſum peculiariter caſtigauit, ſic hoc fucum & nitorem reprobat. Et docet quidem non eſſe ſatis ut mulier mala non ſit, ſed omnem etiam mali ſuſpitionem euitandam illi iuxta Pauli doctrinam. Nec iubet ut mulier tota ſqualeat, ſed huius cultum ſimplici conſtare uult mundicie. Quod ſi Gentiles adeundi ſint, exigente hoc cognationis aut uulgarium officiorum neceſſitate, cur pudeat Chriſtianam mulierem incedere frugaliter cultam, quæ poſſit hoc exēplo alienos à pietate CHRISTO lucrifacere? Præcipua autem, inquit, cauſa Chriſtianis mulieribus in publicum prodeundi eſt, ſi Chriſtianus aliquis ægrotet, ut hunc inuiſant uidelicet, & conſolentur, ac officio lotionis ac mundationis proſequantur, Aut ſi res diuina fiat, Aut ſacra ad populum concio. Adhortatur etiam ut uel hac de cauſa ſibi temperent à nimio formæ cultuſque ſtudio, ne Gentilium ſuſpicionem alant, quam quidam falſo ſparſerāt, de inceſtis Chriſtianorum conuentibus, ut apud quos adulteria non eſſent prohibita, ſed promiſcuus uxorum affiniumq; uſus locum haberet.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, DE CVLTV FOEMINARVM LIBER.

ANCILLAE dei uiui cōſeruæ & ſorores meæ, quo iure deputor uobiſcū, poſtremiſſimus omniūq; de meo iure conſeruitij & fraternitatis audeo ad uos uerba iſta facere, non utiq; affectationi, ſed affectioni procurans, in cauſa ueſtræ ſalutis. Ea ſalus nec fœminarum modo, ſed etiam uirorum, in exhibitione præcipue pudicitiæ ſtatuta eſt. Nam cum omnes templum dei ſimus illato in nos & conſecrato ſpiritu ſancto, eius templi ædituus & antiſtes pudicitia eſt, quæ nihil immundum nec prophanū inferri ſinat, ne deus ille qui inhabitat, inquina-

Pudicitia.

tam